



The Holy See

IOANNES PAULUS EPISCOPUS

SERVUS SERVORUM DEI

AD PERPETUAM REI MEMORIAM CONSTITUTIO APOSTOLICA **KERENSIS*** NOVA EPARCHIA IN ERYTHRAEA
CONSTITUITUR KERENSIS APPELLANDA. Communitates in orbe terrarum ecclesiales multiplices variasque prae se
ferunt formas, quas legitimas Nos tueri volumus, atque contendimus et studemus, ut floridiorem statum per proprium
ritum illae consequantur. Nunc de Asmarensi Eparchia cogitamus deque eiusdem amplo territorio. Itaque, postquam de
hac re Congregationis pro Ecclesiis Orientalibus Praefectus rettulit, iudicavimus opportunum nonnulla loca ab eadem
distrahere et novam Eparchiam condere. Quapropter Apostolica Nostra de auctoritate novam Eparchiam constituimus ab
urbe Keren *Kerensis* appellanda, ubi eparchialis sedes locatur, quae deinceps regiones quas Sahel et Senhit appellant
complectetur, quamque Eparchiae Metropolitanae Neanthopolitanae suffraganeam facimus. Ad haec tandem perficienda,
consuetudines iuraque congrua servantur et quae a Codice Orientali praecipuntur, nihil quibusvis rebus minime
officientibus. Novensilem communitatem demum hanc benignis oculis respicientes, exoptamus, ut novum spiritale iter
animose ipsa suscipiat, quae per translaticias consuetudines et fervidam pietatem magnum progressum consequatur et
fidelibus salutifera largiter afferat beneficia. *Datum Romae, apud Sanctum Petrum, die vicesimo primo mensis Decembris,
anno Domini millesimo nongentesimo nonagesimo quinto, Pontificatus Nostri duodevicesimo.*

ANGELUS card. SODANO <i>Secretarius Status</i>	ACHILLES card. SILVESTRINI <i>Congr. pro Gentium Evang. Praef.</i>
---	---

Eugenius Sevi, *Protonot. Apost.*

Franciscus Chiaurri, *Protonot.*

Apost.

*A.A.S., vol. LXXXVIII (1996), n. 4, p. 350 © Copyright 1995 - Libreria Editrice Vaticana